



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Pestis honore sepulturæ priuat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

egerint. Qui autem è morbo illo conualuerant, atque è lecto surrexerant, membra affecta amittere cogebantur; quo fiebat, ut alij sine pedibus, alij sine oculis manerent in vita: nonnullos autem statim omnium peræquè rerum capiebat obliuio, ita ut non modò familiares suos ac necessarios, sed seipfos etiam ignorarèt. Neq; verò intra homines dumtaxat veneni huius vis se còtinuit, sed in oues quoque ac pecudes diffudit, quæ illud è contactu humanorum corporum haurientes, illico interibant: canes præsertim, qui propter contubernij & victus societatem mali ingruentis sensum magis præbebant. Postremò, quod omnium tristissimum, & ut veteris Poëtæ verbo utar, maximè *arumnabile* erat, illi, quos pestis comprehenderat, omni salutis ac sanitatis spe abjecta, remedia omnia repudiare solebant: reliqui, tamquam & ipsi certi mortis, quæuis pietatis officia negligere, leges contemnere, atque proijcere, animis obsequi, honestatem voluptate corrumpere, opes aut hæreditate acquisitas, aut labore industriaq; partas profundere non ambigebant.

Si hæc non sufficiunt mala viuentibus, per pestes, creata, etiam ultrà illæ grassantur. Non solùm enim vitam nobis illæ, sed honorem etiam sepulturæ ac funeris adimunt. Siquidem horum, quos ex humanis violenter eripit, corpora vel clam in hortis, aut etiam cellis sepeliuntur, vel in plateas ejecta, & noctu ferè exportata, aut plaustris imposita, atque in communem scrobem euehuntur, sine comitatu, sine pompa in fossam conijciuntur. Fames autem hoc honore non priuat, nemo enim horret fame enectum. Multos certè audiuius peste ac dolore nimio ab omni sensu alienatos, pro mortuis abjectos, & verò etiam elatos, primùm inter cadauera ad se, ac postea etiam ad suos rediisse. Quod & tibicini temulento accidit, qui cùm præ ebrietate progredi non posset, in ipsa platea, ante cauponam, obdormiuit. Quia igitur tum peste extincti antè januas exponi solebant, ut à vespillonibus nocturnis asportarentur: hunc vino obrutum, cùm itidem defunctum arbitrarètur, ad cetera cadauera in plaustrum injecerunt, cumque reliquis corporibus ad cumulum cadauerum euexerunt, non antè è somno & ebrietate excitatum, quàm se ipse, die postero, viuùm inter mortuos reperisset, vi-



numque non minus ac pestem detestatus esset. Quod illi sanè, si fame atque inedia in insomniam venisset, numquam potuisset accidere. Fames porro non solum humanis plerumque potest modis & auxilijs asPELLI, cum interea pestis plerumque omnia humana media eludat, & mutet tacito medicina timore; verum etiam plerumque est hominibus, quam alijs animantibus infestior famas; pestis autem

*Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,  
Corruptiq; lacus, infecit pabula tabo.*

Exod. 9. 2. Quod malum Deus, etiam per Moysen Pharaoni minitatus est. *Quòd si adhuc renuio, & retines eos; ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oves,*

Exod. 5. 3. *pestis valde grauis.* Neque Israëlita famem, sed pestem timere se indicarunt: *Dixeruntq;: Deus Hebraeorum vocauit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* Quas duas plagas,

Ezech. 38. 22. etiam alibi minatus dixit: *Et iudicabo eum peste & sanguine,* hoc est, grauissimis morbi & belli poenis vindicabo. Hæc pro fame, contra atram hanc luem dici possunt.

## VI.

Neque negandum est, inter grauissima humanæ gentis flagella pestem recenseri. Quid igitur? statuamne omninò & affirmem pestem esse fame terribiliorem ac truculentio rem? At si huius quoque crudelitatem atque sæuitiam considerauerimus, nihilo eam minus, minus autem? immò multò magis timendam ac fugiendam esse perspiciemus. Nam etsi ad nomen Famis non ita exhorrescimus, ut ad vocem Pestis, tamen illud videtur esse inter vtrumque malum discrimen, quòd pestem plus timeamus absentem, famem præsentem plus sentiamus. Enimverò si de humana æstimatione loquamur, multi malunt non esse, quam ad eò miseri esse; hinc malunt mori, quam diuturna fame cruciari. Et quidem, si tempora mortis libet inter se se conferre, quis sapiens non eligat summos dolores citiùs finire, quam eos in longum protrahi? Quid autem est longa famas aliud quam longus cruciatus? Itaque verè, qui fame consumuntur, sensim deficiunt, quia sentiunt, se deficere ac mori. Si ergo tantò miserabilior est ærumna, quantò diuturnior; tantò erit peius fame, quam peste confici,